

maiores vestri debitam semper fidem cum omni integritate instar aliorum membrorum huius Regni constantissime obseruastis, ita nobis quoque et Sacre huic Corone solido et firmo animo obseruare velitis; et quamuis, vt intelligimus, a nostra obediencia et vetusta illa vestra fide nonnulli vos auertere auocareque conentur, tamen rogamus vos et requirimus magnopere, ut talibus seductoribus et susurronibus faciles aures non prebeatis, facile etiam fidem maiorum vestrorum, ad vos iure successionis deuolutam, aliquo neuo siue macula coinquinari non paciamini. Nos siquidem habemus certe non mediocrem rationem periculorum vestrorum et susceptorum dampnorum, et profecto Dei munere de necessariis auxiliis iamiam prouidebimus, nec amplius ab illis hostibus vexari vos patiemur. Quod si vos in priori erga nos fide velle in posterum persistere cognoscemus, omni certe nostra gracia et fauore, omni etiam nostra munificencia erga vnumquemque vestrum nacta opportunitate certe recognoscere studebimus. Et in hoc pro honore, fideque vestra, et maiorum vestrorum, atque etiam animi vestri integritate rogamus et requirimus, item et hortamur, aliud non faciatis. Datum Bude feria sexta proxima ante festum Beati Georgii Martiris. Anno Domini Millesimo quadringentesimo nonagesimo primo, Regnorum nostrorum Anno Hungarie &c. primo, Bohemie vero vigesimo.

(*Sigillum Regium appressum.*)

Orig. carth. in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 65.

CLIII.

Anno 1494. die 14. Novembris. Budae.

Vladislaus Rex Ladislao de Kanisa, Regni Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Bano, mandat, ne Regni Slavoniae Nobiles ad militandum extra limites Regni adstringat.

Commissio propria Domini Regis.

Wladislaus Dei gracia Rex Hungarie et Bohemie etc. Fideli nostro Magnifico Ladislao de Kanysa, Regnorum nostrorum Dalmacie, Croacie et Sclauonie Bano, salutem et grariam. Venerant ad Maiestatem nostram fideles nostri Egregii Georgius de Zenche et alter Georgius Capithanfy de Desnycze, cum litteris et intimatis fidelium nostrorum Vniuersitatis Nobilium illius Regni nostri Sclauonie, Maiestati nostre conquesti sunt nomine Regnicolarum nostrorum in hunc modum: Qualiter vos ipsos Regnicolas nostros contra disposicionem et ordina-